



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cursus Biennalis Studii Canonici, Sive Succincta Et
Methodica Sacrorum Canonum Explanatio**

Engelhard, Johann Martin

Moguntiae, 1700

Titulus IV. De Consuetudine.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63255)

impetraverint, quodnam sit alteri præferendum; Resp. id quod prius datum est, si simul data videantur, illud valebit, cuius est inchoata executio. sic si duo eodem tempore super uno eodemque beneficio rescripta impetraverint, præferetur is, qui accepit possessionem. si nec fuerit inchoata executio habenda est ratio præsentationis, eritque is, qui rescriptum suum prius præsentavit alteri præferendus.

TITULUS IV.

De

Consuetudine.

QUÆRES 1. Quid sit consuetudo? Resp. Consuetudo ab eo quod est in communi usu dicta. *can. consuetudo. dist. 1.* Post naturalem legem sumpsit exordium, ex quo homines convenientes in unum cœperunt habitare simul. *can. non est dist. 6. definitur jus utentium moribus introductum. l. 32. ff. de ll. can. consuetudo. cit.* Id est jus quod non descendit ab expressâ legislatoris voluntate, sed à populo sensim introductum est sine Scripturâ, Institutione, aut promulgatione solemnî. *dict. can. consuetudo.* Differt à jure scripto, non quoad vim & obligationem; consuetudo enim legem imitatur, & constitutionis scriptæ habet vigorem. *can. diuturni dist. 12. Pirrb. h. t. num. 1.* sed in modo constituendi. à Præscriptione autem quod consuetudo respiciat cõmunitatem, requiratq; consensum tacitum legislatoris, præscriptio autem respiciat personas privatas nec requirat illius, contra quem præscribitur, consensum.

QUÆRES 2. Quotuplex sit consuetudo?

C 4

Resp.

Resp. omissis variis divisionibus, quæ à DD. allegari solent, quod consuetudo alia sit universalis, ab omnibus aut saltem plurimis pro lege observatur, alia particularis, quæ ad certum locum restricta est; item quod alia sit canonica, alia civilis, celeberrima est consuetudinis divisio in eam, quæ est secundum, præter, & contra legem. consuetudo secundum legem est, quæ legem ipsam à Superiore latam per longum usum aut diuturnam observationem confirmat, vel interpretatur mentem legislatoris in lege contentam. *can. in istis. dist. 4.* & de hac dicitur. *cap. 8. h. t. § 1. 37. ff. de ll.* quod consuetudo sit optima legum interpret. Hæc autem non inducit novum vinculum aut obligationem, cum sit mera legislatæ observantia, vel executio; ideoque rectè dicit *Bald. ad l. fin. Cod. qua sit longa consuetudo.* Consuetudinem secundum jus non esse dispositivam, sed imitativam tantum. Consuetudo præter legem disponit super casu per legem omissio, sive demonstrat quid in certis casibus in iure expresse non decisum agendum sit. *l. de quibus 32. ff. de ll.* de qua dicitur in *can. 5. dist. t. 1.* quod pro lege suscipiatur quando lex deficit. Consuetudo contra legem est, quæ inducit contrariam legi iam latæ dispositionem, dum eam à principio per usum contrarium, vel non admittit, vel admissam abrogat. *cap. fin. h. t.*

OBIICIES. Si lex lata per consuetudinem abrogari possit, ergo consuetudo erit fortior lege, quod est contra *can. diuturni. dist. 12.* & contra *l. 37. ff. de ll.* ubi consuetudo legis scriptæ vigorem habere dicitur. *R. N.* sequelam; non enim abrogatur lex per
conue-

consuetudinem tanquam per legem fortio- rem, sed tanquam per jus posterius, scimus autem legibus prioribus per posteriora derogari. §. *posteriore. inslit. quib. mod. testam. infirm. l. non est novum 26 ff. de legibus* Intellige hoc de jure positivo humano; juri enim naturali vel divino consuetudo non derogat, cum consuetudo non sit sed corruptela. *cap. 11. h. t.*

QUÆRES 3. Quid ad introducendam validè consuetudinem requiratur? Resp. Requiritur potissimum quinque 1. *Iusta ratio*, sive rationabilitas consuetudinis, id est ut sit honesta & utilis communitati; cum enim legem imitetur, eandem etiam cum lege honestatem requireret, quâ deficiente corruptela vocabitur. *cap. fin. h. t.* 2. Requiritur *frequentia actuum. l. 1. eod. quæ sit long. consuet.* Consuetudo enim idem est ac communis usus, usus autem non unum tantum sed plures actus includit; quotnam verò actus requirantur in specie, non convenit inter DD. quidam dicunt sufficere unicum, quorum sententia eò est risu dignior, quod per ipsam consuetudinis definitionem explodatur. alii duobus contenti sunt, moti auctoritate *l. 3. cod. de Episcop. audient.* ubi is qui post veniam semel impetratam iterum delinquit, consuetudinem peccandi habere dicitur. ex quo inferunt actum, geminatum ad consuetudinem sufficere. sed pessimè, cum aliud sit in peccatis determinare actus, ad absterrendum à vitiis hominem, intuitu pœnæ post secundum actum subeundæ; aliud item determinare actus ad introducendum jus consuetudinariam; illi enim, utpote peccaminosi propter salutem animarum, restringi debent; hi verò quod legibus scriptis derogarent, extendi. alii Plures quàm duos actus requirunt,

numerum tamen actuum non definiunt, sed ex l. 4. re-
 fin. § fin. ff. de iure de liber. § l. mora ff. de usuris pruden-
 ti iudicis arbitrio relinquunt terminandum, quot
 actus hic & nunc pro introductâ consuetudine suf-
 ficiant; inter quos est Zœsius ff. de ll. n. 75. § Pirrh. h. t. n. 4
 n. 21. quorum opinioni omnium veriori subscribo legi-
 hi autem actus debent frequentari si non à totâ com-
 munitate, saltem a majori eiusdem parte, ut constet
 de consensu populi qui ad consuetudinem requiri-
 tur. debent esse uniformes; cum consuetudo non
 minus ac lex debeat esse manifesta, ex actibus autem
 difformibus constare nequeat, quid populus pro
 lege servare velit. debent esse liberi nec procedere ex
 ignorantia, vi, vel metu. & denique notorii, in-
 tellige notoreitate facti non juris; sufficiunt enim
 actus extrajudiciales 3. requiritur *tempus longum*, in
 quo Doctores varias tenent opiniones. plerique civi-
 listæ volunt, ad consuetudinem civilem decennium
 sufficere, pro quibus militat l. 1. Cod. quæ sit longa
 consuet. l. 32. § 35. ff. de ll. quæ non nisi tempus longum
 & diuturnum requirunt, quale est decennium l. fin.
 Cod. de præscrip. long temp. ad consuetudinem autem
 contra legem Ecclesiasticam 40. annos requirit
 veterum canonistarum cohors, quos refert Pirrh.
 h. t. n. 38. & licet probabilius sit etiam decennium
 ad consuetudinem Ecclesiasticam sufficere meo tamen
 iudicio utrumque prudentis iudicis arbitrio deci-
 dendum relinqui debet, qui, si valor consuetudinis
 in quæstionem venerit, prudenter arbitrabitur, an
 Anni decem, plures, vel pauciores hic & nunc
 sufficiant, ad sufficienter declarandam voluntatem
 populi, quod hoc vel illud per lege observari velint

l. 4. requiritur consensus legislatoris l. de quibus 32 ff. de
 en. quia consuetudo habet vim legis, quæ sine auctori-
 uotitate publica & voluntate legislatoris introduci ne-
 quit. §. denique necessaria est bona fides Pirrh. h. t.
 b. t. n. 44. Ratio est, quod consuetudo debeat esse
 legitime præscripta. cap. fin. b. t. præscriptio autem
 sine bonâ fide nec currere possit, nec inchoari. cap.
 §. §. fin. de præscript.

OBIICIES 1. Lex quæ per consuetudinem ab-
 rogatur est iusta & rationabilis; ergo consuetudo
 ei contraria erit iniusta & irrationabilis, ac con-
 sequenter nulla Respon. si hoc argumentum valeret,
 ex eadem ratione lex prior non posset per postero-
 rem abrogari, cum non videtur rationabilis,
 quod tamen falsissimum est, & apertissimo juri repu-
 gnans cap. alma mater de sent. excom. in 6. quemadmo-
 dum igitur cessat ratio prioris legis dum per poste-
 riorem tollitur, sic etiam cessabit, quando per con-
 suetudinem abrogatur.

OBIICIES 2. Consuetudo non prævalet
 legi aut rationi l. 2. Cod. quæ sit longa consuetudo. ergo
 per eam, ex scripta non poterit abrogari. Resp. dist-
 inguo anteced. consuetudo non prævalet legi si non
 habuerit condiciones requisitas Concedo, si eas
 habuerit, Nego anteced. & conseq.

OBIICIES 3. Ad præscriptionem contra Ecclesiã
 vel bona Ecclesiæ non sufficiunt decem anni, sed re-
 quiruntur 40. cap. 6. & 15. de præscript. ergo etiam ad
 præscriptionem, contra legem Ecclesiasticã tot anni
 requirentur. Resp. Concesso anteced. Nego Conseq.
 quando enim contra Ecclesiam præscribitur, tunc
 dominium aliquod sive jus, quod utilitatem & com-
 modum

modum Ecclesie spectabat, tollitur, ideoque propter ingens hoc Ecclesie præjudicium, canones 40. vel etiam 100. annos requirunt, *can. fin. c. 16. q. 3.* hoc autem non fit in præscriptione contra legem, utpote quæ non ipsius Ecclesie, sed subditorum utilitatem concernit.

OBJICIES 4. Consuetudo sæpius imò plerumq; inducitur in scio legislatore; ergo non requiritur ejus consensus. Resp. concedo anteced. distinguo consequens. non requiritur consensus legislatoris personalis concedo, legalis, Nego consequens non ergo requiritur ut legislator mores populi expressè approbet, vel illos sciens non prohibeat; sed sufficit consensus legalis, qui habetur per conditas leges & canones consuetudini vim juris tribuentes, eamque approbantes, si rationalis fuerit & legitime præscripta *c. p. fin. h. t.*

OBJICIES 5. Consuetudo introducit per actus peccaminosos utpote legi superioris contrarios; ergo non requiritur bona fides. Resp. Negando anteced. licet enim actus contra legem superioris exercitus, propter inobedientiam, malus sit & peccaminosus in se, fieri tamen potest, ut subditi hinc & nunc à peccato excusentur, dum credunt legem superioris sui, quæ secundum *can. evil. autem dist. 4.* debebat esse utilis, manifesta, loco, & tempori accommodata &c. non habere amplius qualitates legis *in d. can. enumeratas*, adeoque non obligare amplius.

OBJICIES 6. Subditi non possunt legem superioris sui per statutum contrarium tollere; *l. 3. §. divus ff. de sepulchr. viol.* ergo neque per consuetudinem

pro
ones
. 73
gem
rium
ple.
uiri
guo
toris
ergo
è ap-
fici
eges
am-
umè
citut
on-
esp.
gem
ma-
t, ut
cre-
. erit
o, &
lius
non
gem
l. 3.
etu-
nem

dinem abrogare. Resp. Conc. anteced. N. conseq.
in ultimo enim habemus consensum superioris per
leges declaratum non in primo.

OBVICIES 7. Consuetudo obvians ca-
nonicis institutis non est toleranda *cap. ad nostram*
3. h. r. sed quæ abrogat legem ecclesiasticam obviat
canonicis institutis; ergo. Resp. Concessa ma-
jore Nego minorem; non enim est contra canoni-
ca s sanctiones sed potius juxta eas, cum canones
consuetudinem legitime introductam approbent.
Capitulum autem allegatum nil aliud dicit, quam
quod in causis ecclesiasticis, dictum populi non
fit habendum pro sententiâ.

QUÆRES 4. An consuetudo vim habeat
derogandi legi, cui adjecta est clausula *non obstante*
quavis consuetudine? Resp. Sub distinctione: vel
enim prohibetur introduci consuetudo contraria,
eo quod talis consuetudo corruptela sit, peccatum
foveat, aut damnum afferat ecclesiæ, noceatque
communitati; aut prohibetur: simpliciter eò quod
legislator legem suam perpetuò durare velit? primo
casu consuetudo contraria introduci nequit, quàm
diu manent circumstantiæ quæ legislatorem ad pro-
hibendam consuetudinem movebant. Sic reproba-
tur consuetudo juri naturali & divino contraria.
cap. cum tanto 11. h. t. Obstantis disciplinæ ecclesia-
sticæ. *cap. cum inter 5.* Gravans ecclesiasticos. *cap. 1.*
repugnans fidei catholicæ *can. consuetudinem, dist. 11.*
& contraria ecclesiasticæ immunitati, etiamsi fue-
rit immemorialis ut habetur in bullâ Urbani VIII.
quæ incipit *Romanus Pontifex.* promulgata 5. Junii
1641. Secundo casu, non obstante hac simplicis
prohibitione consuetudo contraria introduci po-
test

test: cum enim hujusmodi legi, per legem contrariam derogari possit, cur non per consuetudinem cui vis legis tribuitur. *l. diuturna ff. de ll. exempla v. de in cap. 1. 3. 7. 9. 10. Et alius hic. Et cap. 1. Et 2. b. in 6.*

QUÆRES 5. Quomodo consuetudo probari debeat? Resp. Eam ab allegante probandam esse, quia quantum ad introductionem est facta, ideoque vi regulæ communis ab allegante probanda. *cap. cum in jure de off. deleg. cap. cum Ioannes de fide instrum.* probatur autem vel per testes duos vel plures de diurnitate temporis & actuum frequentiam deponentes, vel per scripturam, quæ consuetudini non repugnat, vel per acta judicialia, & famam publicam.

TITULUS V.

De

Postulatione Prælatorum.

QUÆRES 1. Quid sit postulatio? Resp. Omissis varijs significationibus quæ postulationi in jure tribuuntur, quas examinabimus *in tit. 37. hujus libri*, qui inscribitur *de postulando* postulationem prout hujusmodi est, rectè definiri, ejus qui ob impedimentum canonicum eligi non potest, à superiore qui impedimentum potest tollere, *concord. Et certa petitio Pirrb. h. t. n. 1. Vallens n. 2.*

QUÆRES 2. Quid requiratur ad hoc ut postulatio valeat? Resp. Tria requiri. Primo ut fiat in concordia, postulationes enim in discordia factæ rejiciuntur. *cap. 3. h. t.* concordia autem pro varietate casuum in postulatione occurrentium varia est.